

te resolui potest. 3. Solus est quaqua versum, & in tres directas dimensiones porrigitur. Nam reliquorum facies inclines sunt, & alibi, cum se duabus directis sectionibus præbeant, in reliqua sectionem frustrantur. 4. Hinc est, quòd solus habet tot facies, quot habet ternaria dimensio terminos, nempe sex, & duplum numerum laterum, scilicet duodecim. 5. Solus vndiquaq; habet æqualem angulum, scilicet rectum. At in Pyramide regula, quæ sedet, adhibita medijs planis discrepat, si eam versus angulum intorqueas: nec solidi anguli ad eam normam quadrant, quæ interiectum longum lateralem angulum metitur. 6. Hinc etiam soli competit, quòd ex *μονοβίβλω* Ptolemæi citat Simplicius super Arist. lib. 1. de cælo cap. 1. pro causa perfectionis in ternario: quòd scilicet non plures tribus rectis perpendicularibus ad locum solidum in solidos re-ctos diuidendū concurrere possint. 7. Est solidorū rectilineorum omnium simplicissimum corpus. Quod etsi in Pyramide ambigitur, tamen ex eo facile euincitur, quòd pyramidis mensura Cubus est, mensuram autem priorem esse conuenit. Mensura verò est non tantum ex instituto hominum, qui quicquid solidorum metiuntur, eius quantitatem in paruis cubis concipiunt animo: sed multò magis Naturâ. Rectus enim Angulus æqualis est alteri, quo cum in planum extenditur. Est igitur perpetuò sibi æqualis ipsi, atque adeo vnus, cæterorum vtrinque infiniti sunt. Mensuram autem decet vnâ & eandem, atq; etiam finitam esse. 8. Hinc tam fecunda est recti in circulum inscriptio, sine quo mediante, nec triangulum, nec quinquangulum, nec ab eis deriuata inscribi possunt. 9. Sed neq; illud prætereundum quòd perfectissimo animali solers natura sex easdem *διαστάσεις* perfectissimè attribuit: non obscuro argumento, quàm hoc corpus penes illam sit in precio. Nam homo ipse quidam quasi cubus est, in quo sex quasi plagæ sunt, supera, infera, antica, postica, dextra, sinistra.